



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 14. Rioia Regiuncula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 14. *Rioia Regiuncula.*

PARS erat olim Nauarrici Regni, sed eam ut denormantem Castellam suam Castellanus occupauit. Eam dum reperit Nauarræus, totum perdidit, dum appendicem reperit.

§. 15. *Guipuscoa.*

NAVARRICI quoque iuris fuit: sed sub finem sæculi 14. Legati eius prouinciæ, ad Castellæ Regem accesserunt, quærentes se uetigalibus obrui, eique sese submiserunt; & post centum annos instituta Comititia (quæ *Hermanadas* vocant) quorum auctoritate hæc prouincia gereretur.

§. 16. *Alana Regnum.*

APUD Mauros ita dicebatur: sed Sancius Rex Nauarræ hanc occupauit regionem, in eaque urbem Victoriam in Pago *Galleys* excitauit, & communiit contra Castellæ Regem. Verum tandem expugnatâ per Alphonsum Victoriâ urbe, magnâ ex parte Castellano cessit. Et cum sibi indigenæ dominum eligerent in campo Arriaga prope Victoriam, eius pertæsi rogauere Alphonsum XII. ut Castellæ regno iungerentur, quod impetrauere cum multis priuilegiis, & immunitatibus.

§. 17. *Biscaya.*

CERTVM est Reges Legionenses in eam Gubernatores misisse Comitum nomine. Sed cum Zenum quemdam gratiosum populo captiuum abduxissent, rebellauere indigenæ, & eius Generum sibi principem elegere. Ab eo prognata familia *Haro*, quæ diu hinc rerum potita est, at sub clientelari iure Castellæ. Nihilominus Rex Nauarræ sibi partem arrogabat, qui se Biscayæ Dominum appellabat. Quod etiam in præsentia Rex Hispaniæ facit, qui cum eam subit, vno pede incedere nudus debet, idque præstare cogitur intra annum, alioqui reditus non percipit. Vnita fuit Biscaya cum Dominus de Haro in obsidione Argezilæ bello Mauricio mortuus esset, cuius hæreditas Ioanni Castellæ Regi obuenit.

Nn iij